NATALICIA

REGIS AUGUSTISSIMI

GUILELMI I.

D. XXII. M. MART.

HORA XI.

IN AUDITORIO MAXIMO

CELEBRANDA

INDICUNT

UNIVERSITATIS REGIAE GRYPHISWALDENSIS RECTOR ET SENATUS.

INEST

G. F. SCHOEMANNI ANIMADVERSIONUM AD VETERUM GRAMMATICORUM DOCTRINAM DE ARTICULO CAPUT ALTERUM.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. UNIVERS. TYPOGR.

MDCCCLXII.

Apollonii Alexandrini quam magna fuerit apud posteriores grammaticos existimatio neminem fugit mediocriter modo in hoc litterarum genere versatum. Nam non Graeci solum Byzantiae scholae doctores, quorum ad Dionysii libellum commentarios Imm. Bekkeri industria nobis aperuit, ubivis fere hunc unum auctorem sequi solent, quem grammaticum suum quasi per excellentiam et summum technographum vocant[1]), sed Priscianus quoque in institutionibus grammaticis hunc potissimum sibi ducem sumpsit, cuius scrupulosis quaestionibus nihil enucleatius, omnesque antiquiorum errores purgatos esse autumat[2]). Nec inter recentiores nostraeque aetatis grammaticos defuerunt, qui hunc artis suae principem et rationalis disciplinae ducem ac signiferum summis laudibus efferrent, a quibus qui dissentire et pervagatae ac tralaticiae famae obloqui auderent perpaucos extitisse videas. Est autem in his vir unus praestantissimus Ioannes Classenus, qui quum anno MDCCCXXIV adhuc adolescens egregiam dissertationem inauguralem de primordiis grammaticae graecae publicaret, in thesibus dissertationi adiectis hanc primam posuit: Apollonium Dyscolum immerito propter iudicii subtilitatem praedicari. Huic si ego me subscriptorem profiteor, non sic hoc accipiendum est, ac si multa magnaque Apollonii quum in omni arte grammatica tum praecipue in hac parte, quae est de constructione verborum, merita esse diffitear. Nam profecto plurimas ab eo structuras recte perspectas et subtiliter explicatas esse video, eamque eius laudem tanto pluris aestimandam esse iudico, si eum in omni hoc genere quaestionum fere primum elaborosse re-

---

1) Bekk. Anecd. p. 763, 28. 920, 15.
2) Priscian. praef. §. 2. II, 6, 30.

puto, in quo, quantum quidem constet, aut nemo ante eum aut perpauci accuratius versati sunt, et si qui versati sunt vix operae pretium fecisse videntur. Neque imminui eius laudem arbitror, si non pariter omnia recte tractasse multaque posteris aut corrigenda aut perficienda reliquisse dicatur. Nam ut in ceteris disciplinis sic in hac rationali grammatica lentos tantum longo tempore coniunctisque multorum studiis progressus factos esse non mirum est, quum praesertim multae sint quaestiones, quas qui recte tractare ac persolvere conetur, non intra unius linguae terminos se continere, sed plurimarum cognitionem et comparationem adhibere debeat, id quod ab Apollonio nec factum esse nec facile fieri potuisse manifestum est. At enimvero, quantumvis haec omnia monere nos debeant, ne plus ab eo exigamus quam praestari potuerit, non dissimulandum tamen sat multa eius peccata esse, quae eiusmodi excusationem non admittant. Accidit enim non raro, ut veram rationem a superioribus aut grammaticis aut philosophis, maxime Stoicis, si minus liquido demonstratam et explicatam, certe tamen incohatam et aliquatenus significatam, non modo non agnosceret, sed, quod aegrius ferendum, etiam impugnaret, et si quid cum opinionibus aut ab ipso conceptis aut in schola, cui se addixerat, tralaticiis discreparet, nimio quodam refellendi studio quasi occoecatus ad argumentandi genus confugeret non modo infirmum sed etiam fallax et cavillatorium. Tale quid etiam in iis, quae de articulo disputat, ab eo commissum esse, hac scriptiuncula mihi demonstrandum sumpsi. Sed quum omnis illa disputatio in duas partes dispesci possit, quarum altera in vi et natura articuli demonstranda versatur, altera varias eius constructiones persequitur, ego nunc quidem de priore tantum parte dicturus sum, quum praesertim haec longe gravior sit, neque ad alteram percensendam tempus suppetat.

Primum igitur Apollonius Stoicorum rationem, a quibus articulos in eadem cum pronominibus parte orationis positos esse constat, magnopere improbans, id agit ut iure meritoque articulos a pronominibus separari suumque ac proprium in partibus orationis locum iis assignari debuisse demonstret, in qua demonstratione quum illud quidem, quo differunt a ceteris pronominibus articuli sui, studiose exponat, causas tamen huius differentiae veramque rationem minus perspexit, de ipsis autem articulis ea profert, quae in alterum quidem, eum qui προτακτικός s. praepositivus dicitur, quadrare videantur, de

altero autem, qui ὑποτακτικός s. postpositivus est, longe a vero aberrat eoque adigitur, ut hunc in certis tantum structurae formis articulum haberi posse concedat, in aliis autem non minus frequentibus, quas qui veram rationem perspexerit, haudquaquam diversi generis esse intelligat, ipse non modo articuli nomen ei convenire neget, sed ne in pronominibus quidem eum numeret. Quippe pronomina non alia dici vult, quam personalia et demonstrativa, in quae sola definitio ab ipso proposita cadit, quum ἀντωνυμίαν esse dicit λέξιν ἀντ' ὀνόματος προσώπων ὡρισμένων παραστατικήν, διάφορον κατὰ τὴν πτῶσιν καὶ ἀριθμόν, ὅτε καὶ γένους ἐστὶ κατὰ τὴν φωνὴν ἀπαρέμφατος[3]): estque sane haec definitio eiusmodi, ut, quum indefinita pronomina excludat, etiam hos articulos, quos veteres ὑποτακτικούς, nos relativa pronomina dicimus, ubi non certas definitasque res aut personas designant, in pronominibus haberi vetet. Non necesse est hoc loco istam pronominis definitionem ut nimis angustam redarguere, qua de re quum ab aliis tum a me ipso satis dictum est in libro de partibus orationis nuper edito p. 121 sqq. Nunc autem hoc tantum dicimus: etiamsi quis definitionem illam probet meritoque subiunctivos illos articulos, si quando indefinitas res aut personas designent, a pronominibus seiunctos esse largiatur, praepositivum saltem articulum nulla satis firma ratione ab omni pronominum consortio sic ut ab Apollonio factum est excludi posse. Interesse inter pronomina et articulum hoc dicit, ut illa quidem certas res aut personas demonstrando designent, articulus autem rei certae atque iam notae cogitationem in animum revocet s. referat: illorum δεῖξιν, huius ἀναφορὰν propriam esse; sic enim eam dicit, quam nos cum Frisciano **relationem** dicimus, rei iam notae repetitam sive repraesentatam in animo notionem[4]). Oppositam anaphorae demonstrationem eam tantum intelligere possumus, quae rem non iam ante notam nunc primum auditori notam faciat, vel, ut planius

3) De pronom. p. 10.

4) De constr. 1, 6 p. 26: Ἔστιν οὖν ἴδιον ἄρθρου ἡ ἀναφορά, ἥ ἐστι προκατειλεγμένου (addi poterat ἢ προεγνωσμένου) προσώπου παραστατική. Ib. c. 7 p. 29: τὸ ἄρθρον προϋφεστῶσαν γνῶσιν δηλοῖ. II, 3 p. 98, 25: ἰδίωμα ἀναφορᾶς προκατειλεγμένου προσώπου δευτέρα γνῶσις. De pron. p. 16: ἡ τῶν ἄρθρων σημασία ἀλλοτρία δείξεως καθέστηκεν, ἐπαγγέλλεται δὲ ἀναφοράν, ὅ ἐστι ἀναπολούμενον πρόσωπον Ib. αἱ ἀντωνυμίαι — γνῶσιν πρώτην ἐπαγγέλλονται — τὰ δὲ ἄρθρα δευτέραν γνῶσιν σημαίνει. Cf. Priscian. XII, 1, 4: Demonstratio primam cognitionem ostendit, relatio vero secundam cognitionem significat. XVII, 4, 27: Articulus secundam notitiam suppositorum demonstrat. Si enim dicam ἄνθρωπος ἦλθεν, primam notitiam ostendo; sin ὁ ἄνθρωπος ἦλθεν, secundam.

dicam, rem antea fortasse non animadversam nunc primum animadvertere auditorem iubeat: cuius quidem demonstrationis vim Apollonius ab articulo abiudicans, de constr. II, 3 p. 99, 21, hunc ἀντικείμενον demonstrationi pronominibusque demonstrativis esse dicit. Atqui eodem loco duo demonstrationis genera esse observat in pronominibus οὗτος, ἐκεῖνος, quae quum δεικτικά s. demonstrativa ut a ceteris sic ab ipso appellentur, haudquaquam tamen semper in demonstratione rei non ante animadversae usurpari solent, sed saepissime etiam rei iam ante notae et commemoratae iteratam cogitationem vel, ut cum Prisciano loquar, secundam notitiam suggerunt, itaque anaphorae vim habent et ἀναφορικά s. relativa, ut sunt, etiam appellantur [5]). Id ubi fit, δεῖ νοεῖν, inquit, ὅτι ἡ ἐκ τούτων δεῖξις ἐπὶ τὸν νοῦν φέρεται, ὥστε τὰς μὲν τῆς ὄψεως εἶναι δείξεις, τὰς δὲ τοῦ νοῦ. Nempe τῆς ὄψεως δεῖξιν brevitatis causa dixit, quoniam hoc genus demonstrationis in iis plerumque rebus usurpatur, quae oculis conspici possunt, licet non minus etiam in aliis locum habere possit, quae vel auribus vel alio quopiam sensu percipiuntur; δεῖξιν τοῦ νοῦ autem, quae pertinet ad res non sensibus obiectas, sed quarum iam reposita in mente notio repetenda et repraesentanda est. Nobis illam ocularem aut primitivam demonstrationem dicere licebit, hanc alteram autem secundariam aut mentalem, novicio quidem sed apto ad rem vocabulo. Igitur illam anaphoram Apollonii nihil aliud esse apparet, nisi demonstrationem quandam mentalem, δεῖξιν τοῦ νοῦ: quumque pronomina οὗτος, ἐκεῖνος, etiamsi anaphorae inserviunt, non tamen propterea pronomina esse desinant, hoc quidem manifestum est, non adeo alienam esse a pronominum natura anaphoram, ut articuli, quia uni anaphorae inserviant, plane diversae a pronominibus naturae et in diversa orationis parte habendi esse dicantur. Quodsi quis forte obiiciat, aliter tamen in structura orationis articulos, aliter pronomina illa anaphorica adhiberi, id quod sane ita est, nihil aliud tamen hinc consequi dicemus, nisi anaphoram s. demonstrationem mentalem habere plures quasi gradus, quorum in alio pronomina, in alio articuli usurpentur. Ne illa quidem demonstratio, quam Apollonius τῆς ὄψεως, nos ocularem aut primitivam diximus, semper unius generis est, sed habet haec quoque duos gradus, id quod Apollonius ipse non ignorat. Distin-

5) Cf. Priscian. XII, 1, 3. XIII, 6, 32. XVII, 9, 56 57.

guit enim τὴν πλείονα δεῖξιν et τὴν ἀμαυροτέραν[6]), h. e. fortiorem s. efficaciorem demonstrationem et debiliorem s. remissiorem. Sic igitur etiam anaphoram aliam fortiorem et efficaciorem, aliam debiliorem esse fatendum est. Efficaciorem eam esse dicemus, quae fit per pronomina οὗτος, ἐκεῖνος, quorum haec vis est, ut rei iam ante commemoratae notionem ipsa per se sola in animum revocent, neque opus sit etiam nomine rei addito; debiliorem autem eam, quae fit per articulum cum nomine rei, cui quum additur articulus, is tanquam signum quoddam est vel nota nomini impressa, quae admoneat auditorem, eam eo nomine rem designari, quam ipsi iam aliunde non ignotam esse praesumamus. Atque huic generi anaphorae nullum aptius pronomen anaphoricum esse apparet, quam illud monosyllabum, quod quum anaphorae vim habeat, tum propter brevitatem facillime nomini se applicet[7]). Nihil obstat autem quominus utrumque genus anaphorae in eiusdem rei notione revocanda sic adhibeatur, ut posteaquam res demonstrativo pronomine οὗτος aut ἐκεῖνος significata fuit, deinde, quo minus scilicet ambigi possit, etiam altera rei designatio per nomen cum articulo, repetendae notionis signo, adiungatur, velut qui dicit οὗτος ὁ ἄνθρωπος, pronomine utitur ut in re per hanc demonstrationem satis designata, deinde tamen disertius eandem etiam nominat, addito articulo, quippe cuius hoc proprium sit, ut rem iam aliunde notam esse significet. Neque minus fieri potest, ut prius nomen cum articulo ponatur, ὁ ἄνθρωπος, quasi de noto, deinde autem maioris perspicuitatis causa etiam demonstrativum pronomen addatur, οὗτος, nempe is quem praesentem vides aut iam ante commemoratum meministi[8]). Atque etiam in primitiva rei demonstratione simul nomen cum articulo et pronomen usurpare licet, velut de homine, qui nunc

6) De constr. II, 5 p. 100, 5 et 15. c. 6 p. 105, 20.

7) Haec applicatio articuli in graeca quidem lingua et in romanensibus iis, quae decurtatis pronominis demonstrativi formis pro articulis utuntur, ita fit, ut praemittatur nomini articulus: sunt tamen aliae quaedam in quibus postponitur, velut in Valachorum sermone. Nam quum Itali l'uomo, la femina, Galli l'homme, la femme dicant, Valachi contra omo-lu, famei-le. Non absimilis varietas est in linguis germanicis. Nos dicimus der Knabe, das Mädchen, Suedi autem gossen (i. e. gosse han) et flickan (i. e. flicka hon).

8) Huiusmodi duplex rei designatio, praemisso aut subsequente pronomine etiam nomen ipsum cum articulo usurpans, graecae linguae propria est. Noster enim sermo vernaculus post demonstrativum pronomen nomen solum sine articulo ponit, dieser Mann, non dieser (nämlich) der Mann. Similiter linguae romanenses, quest' uomo non questo l'uomo, cet homme non celui l'homme. Sic semel, non bis, ut a Graecis, homo demonstratur.

primum in conspectum venit neque ante aut commemoratus aut ab auditore conspectus est, dici potest οὗτος ὁ ἄνθρωπος aut ὁ ἄνθρωπος οὗτος κάλλιστός ἐστι, in quo etiam articulus sive brevior forma pronominis, quamvis praecipue mentali tantum demonstrationi inserviens, haudquaquam tamen primae demonstrationis facultate prorsus destitutus videri possit. Nisi quis vim articuli anaphoricam in huiusmodi exemplis eam esse malit, ut generis saltem, quod nomen indicat, notionem ut non ignotam auditori in mentem revocet. Quid autem? nonne etiam nullo demonstrativo pronomine addito hominem nunc primum conspectum neque ante commemoratum demonstrantes articulo uti possumus, ὁ ἄνθρωπος κάλλιστός ἐστι, homo, scil. qui adest, pulcherrimus est? Negat quidem Apollonius, de constr. 1, 19 p. 48, 26 sq., articulum sic usurpari: ἡ τοῦ ἄρθρου παράθεσις, inquit, ἓν ἰδίωμα ἔχει, τὴν τῶν τρίτων προσώπων ἀναπόλησιν, ἐναντιώτατον δ' ἔχει τὸ ὑπ' ὄψιν παραλαμβανόμενον πρόσωπον: sed quo iure neget ambigo. Velut in epigrammate Leonidae Tarentini, Anthol. Pal. VI, 293: ὁ σκήπων καὶ ταῦτα τὰ βλαύτια, πότνια Κύπρι, ἄγκειται — quid aliud est ὁ σκήπων quam hic quem vides scipio? quod potuit etiam dici οὗτος ὁ σκήπων, pariter atque ταῦτα τὰ βλαύτια. Item in Simonidis epigrammate, ib no. 214: Φημὶ Γέλων' Ἱέρωνα Πολύζηλον Θρασύβουλον, παῖδας Δεινομένευς, τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι, negabiturne τον τρίποδα significare hunc qui hic positus est tripodem? Aut in Anytae epigrammate, ib no. 153: Βουχανδὴς ὁ λέβης, ὁ δὲ θεὶς Ἐριασπέδα υἱός, nonne ὁ λέβης idem significat quod οὗτος ὁ λέβης? Poteram huiusmodi multa afferre si opus esset[9]); in quibus si quis fortasse dixerit pertinere articulum ad omissum alterum membrum, velut ὃς πάρεστι aut tale quid, quod tacita cogitatione facile suppleri possit, hunc ego quid dicat ipsum non satis scire dixerim. Nunquam enim illud omitti et supplendum relinqui potuisset, nisi in ipso iam articulo haec vis inesset, propter quam eiusmodi supplementis supersederi potuit.

Haudquaquam igitur peccarunt Stoici articulum in eadem cum pronominibus parte orationis ponentes, nec dubitandum est quin ad defendendam

---

9) Obiter mentionem facere libet foederis Eleorum, in Corp. Inscr. no. 11, cuius praescriptio ἁ Ϝράτρα τοῖς Ϝαλείοις καὶ τοῖς ἩρϜαοίοις, item non video quid significare possit, quam haec quae infra scripta est pactio. Nam dativum pro genitivo et omissum verbum ἐστί nihil offensionis habere spero. Cur ἁ, cum aspero spiritu, non, ut Boeckhius olim, ἀ scribendum putaverim, exponere hodie quidem non opus est.

suam contra grammaticos rationem iisdem fere argumentis, quam quae a me exposita sunt, pugnare potuerint. Quamquam nihil de tali eorum defensione relatum legimus, sive quod ea non usi sunt, sive quod memoria eius intercepta est. Nam quae eorum argumenta ab Apollonio referuntur, de pronom. p. 4 sqq., quamvis non contemnenda, illud tamen, in quo cardinem quaestionis verti apparet, h. e. veram pronominum naturam ac demonstrationis et anaphorae notionem non satis planam atque apertam faciunt. Tangam tamen praecipua eorum et quae iis ab Apollonio opponuntur, quandoquidem haec quoque aliquid facere possunt ad eius ingenium moremque pugnandi et contra adversarios disputandi rectius aestimandum.

Igitur quum Stoici ad probandam articulorum non diversam a pronominibus naturam etiam vim anaphoricam utrisque communem esse monerent, ille hoc argumentum sic elevare studet, ut non omnia, quibus aliquid inter se commune sit, propterea etiam unius generis habenda esse dicat. Nam et personarum significationem communem esse verbis cum pronominibus, neque tamen eiusdem haec generis esse, et masculini, feminini, neutrius discrimina terminationibus indicata communia esse possessivis, ut ἐμός, et adiectivis, ut καλός, et tamen haec in diversis partibus orationis haberi. Immo, addit, vita pariter in bestiis, in hominibus, in dis est, neque tamen quisquam hos unius generis esse dicet. Ego autem vix quemquam esse credo, qui huius obloquii futilitatem sibi demonstrari postulet. Adiungit insuper Apollonius etiam nominis, quo pronomina pariter atque articuli a Stoicis appellabantur, reprehensionem non iniustam illam quidem, sed nullius tamen ad rem ipsam momenti. Nam melius facturos Stoicos fuisse, si aliud nomen universo generi magis accommodatum quaesivissent, negari non potest, et a me ipso in capite primo harum animadversionum expositum est. Verum tamen Apollonius, quum nullis praeter suos articulos vocabulis id nomen tribui debuisse censet, veram eius notionem aut ignorasse aut dissimulasse censendus est, qua de re mox plura dicemus. — Monuerunt porro Stoici illos qui articuli a grammaticis vocantur in plerisque locis Homericis manifestam prae se ferre demonstrativorum pronominum vim et naturam, cuius rei exempla afferre supervacaneum est. Quid autem Apollonius? Primum, non si quid pro altero dici possit, propterea etiam eiusdem generis esse: nam et nomina propria nonnunquam loco pronominum usurpari,

et participia pro verbis finitis, adeoque in locum coniunctionis continuativae etiam verbum substitui posse, velut ἀκολουθεῖ in huiusmodi enuntiatione: εἰ ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστί, quam etiam sic eloqui liceat: ἀκολουθεῖ τῷ ἡμέραν εἶναι καὶ φῶς εἶναι. Nimis mihi ipse ineptus viderer, si his refutandis immorarer. Sed sequitur alterum nihilo melius: summam iniuriam Homero fieri, si quis articulos ab eo ut pronomina usurpatos dicat: τὸ γὰρ μὴ ταῖς κατὰ φύσιν λέξεσι κεχρῆσθαι κακία: re vera, enim illos qui pronominum loco usurpari videantur articulos nihil cum articulis commune habere praeter sonum vocis: ὁμόφωνα quidem esse, sed naturae tamen diversae. Ἐλελήθει οὖν αὐτούς, inquit p. 7, ἡ ὁμοφωνία τῶν ἄρθρων καὶ τῶν ἀντωνυμιῶν, et paullo post: εἰ δὲ ταράσσονται διὰ τὴν ὁμοφωνίαν, μηδὲ τὸ ὅς ἄρθρον λεγέτωσαν ὑποτακτικόν, ὅτι καὶ σύναρθρον ἀντωνυμίαν σημαίνει καὶ ἀόριστον μόριον ἐν τῷ ὃς ἂν ἔλθῃ, μεινάτω με, καὶ ἴσον τῷ οὗτος παρὰ Ἀττικοῖς, ὡς Πλάτων ἦ δ' ὅς ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ οὗτος: quae verba, utcumque accipienda sunt [10]), hoc saltem ostendunt, Apollonium illam articuli cum pronomine homophoniam non diversam censere ab ea, quae intercedit inter pronomen relativum, sive articulum postpositivum, et possessivum illud ὅς ex ἑός decurtatum, neque perspicere qui fieri potuerit, ut idem pronomen et demonstrativum et relativum et indefinitum esset, cuius rei rationem Stoicos prudentiores non latuisse equidem pro certo affirmaverim [11]). — Afferebantur denique ab his multae formationis declinationumque inter articulos et pronomina similitudines, quae unius haec generis vocabula esse, licet non necessario demonstrent, comprobare saltem dicendae sunt. De his quid Apollonius contra dixerit singillatim referre non opus est; unum commemorare satis habeo, unde patefiat, quam firmiter illi persuasum fuerit homophoniam tantum esse articulorum cum pronominibus, naturae autem diversitatem talem, quae eos in eadem parte orati-

---

10) Fateor enim mihi non satis liquere quid Apollonius sibi velit. Conturbatos homonymia Stoicos articulos dixisse ait, qui non essent articuli. Nunc autem eandem homonymiam obstare debuisse innuit, ne ὅς hypotacticum ἄρθρον dicerent, quod profecto non minus homonymum est cum demonstrativo ὅς (apud Homerum et Platonem) quam ὁ protacticum cum ὁ demonstrativo. Quasi vero homonymia apud Stoicos in ὁ quidem valere, in ὅς autem non valere potuerit.

11) Non ignoro quidem esse hodieque viros quosdam doctissimos et in hac disciplina linguistica, quae multarum linguarum comparatione nititur, me longe peritiores, qui ὅς relativum et ὅς demonstrativum diversae originis et sono tantum similia esse velint; sed quae ab iis argumenta afferuntur, mihi quidem haudquaquam ad persuadendum satis valida esse videntur, qua de re alio loco accuratius dicendum erit. Interim conf. quae Baeumleinius monuit in Philolog. XVI, 118.

onis haberi non sineret. Nam quum Habro pronomen οὗτος ex articulo ὅς productum dixisset, quemadmodum τηλικοῦτος e τηλίκος, τημοῦτος e τῆμος, ille de constr. II, 8 p. 111 et de pron. p. 7, hoc propterea improbat, quod nulla huiusmodi producta forma in diversam a vocabulo primitivo partem orationis abire possit; debuisse igitur Habronem οὗτος non ab articulo ὅς sed ab eius homophono pronomine derivare. Magnopere dolendum est Habronis libros omnes periisse, ex quibus fortasse quid is de omni hac parte orationis praecepisset intelligere possemus. Vix tamen dubitari potest, quin Stoicorum rationem hactenus saltem probaverit, ut unum idemque vocabulum et demonstrativum et relativum, et pronomen et articulum esse posse agnosceret, quamvis fortasse translatum a Stoicis ἄρθρου nomen in omne genus pronominum improbaverit, id quod ne nos quidem probamus. Nihilo magis autem Apollonium probabimus, nominis huius usum nimis angustis finibus circumscribentem, ut unam modo formam breviorem pronominis, quae aliis casualibus addita vim anaphoricam haberet, articulum dici vellet.

Definitio articuli sic circumscripti in ipsius quidem Apollonii libris superstitibus non extat: fuit autem eadem sine dubio, quae apud unum e Dionysii commentatoribus legitur, quos ubivis fere Apollonii vestigia sequi constat. Est autem haec [12]: Ἄρθρον ἐστὶ μέρος λόγου συναρτώμενον πτωτικοῖς κατὰ παράθεσιν προτακτικῶς ἢ ὑποτακτικῶς μετὰ τῶν συμπαρεπομένων τῷ ὀνόματι, εἰς γνῶσιν προϋποκειμένην, ὅπερ καλεῖται ἀναφορά. h. e. A r t i c u l u s e s t p a r s o r a t i o n i s a d i u n c t a c a s u a l i b u s a u t p r a e p o s i t i v a p o s i t i o n e a u t p o s t p o s i t i v a n o m i n i c u m e i u s a c c i d e n t i b u s [13], n o t i o n e m i a m p r i u s m e n t e c o n c e p t a m r e v o c a n s, i d q u o d ἀναφορά (r e l a t i o) d i c i t u r. Illud etiam, quod in scholiis ad Dionysium p. 898, 28 legimus, ἄρθρον dictum videri ἐκ τοῦ συναρτᾶσθαι πτωτικοῖς καὶ μηδέποτε δίχα αὐτῶν εὑρίσκεσθαι, prorsus Apollonii rationem refert. Nam is quoque eas voces, quae propter homophoniam cum articulis confundantur, si quando non adiunctae nominibus sint, ne articulos quidem dici posse contendit, sed tantum pronomina. Συμφερόμενα γὰρ τοῖς ὀνόμασι

12) Schol. Dionys. p. 899, 9.

13) Haec enim sunt τὰ παρεπόμενα τῷ ὀνόματι, nempe ea quae addantur nomini ad rei aut qualitatem quantitatemve aut relationem aut actionem aut passionem aliaque eius generis praedicamenta indicanda.

inquit de constr. 1, 3 p. 10, 2, *τὴν ἑαυτῶν δύναμιν ἐπαγγέλλεται, οὐκ ἔχοντα δὲ τῆδε μεθίσταται εἰς τὰς καλουμένας ἀντωνυμίας.* Ib. c. 3. p. 17, 7: *τὰ ἄρθρα τῆς πρὸς τὰ ὀνόματα συναρτήσεως ἀποστάντα εἰς τὴν ὑποτεταγμένην* [14] *ἀντωνυμίαν μεταπίπτει.* et II, 8 p. 107, 23: *ὅταν τὰ ἄρθρα μὴ μετ' ὀνομάτων παραλαμβάνηται — ἐκ πάσης ἀνάγκης εἰς ἀντωνυμίαν μεταληφθήσεται,* et paullo ante talia *τῇ φωνῇ ἄρθρα* dixit, *τῇ δὲ ἐξ αὐτῶν μεταλήψει ἀντωνυμίας.* A veteribus quidem illis, qui primi articuli nomen in grammaticam induxerunt, longe alio sensu id usurpatum esse certissimum est, id quod alio loco demonstravimus: neque ipsum Apollonium priscam et genuinam nominis significationem, quam illi secuti sunt, fugisse credo. Contra Stoicos enim disputans, liberiorem suum nominis abusum excusantes, *πόθεν γάρ,* inquit, *ἁρμογὴ καὶ κῶλον τὸ αὐτό;* *Ἁρμογὴν* igitur s. iuncturam eo nomine significari agnoscit. Debebat ergo illud quoque agnoscere, longe aptius id nomen iis vocabulis inditum, quae quasi iuncturam quandam membrorum orationis efficerent, quam suis illis articulis, quos non duo inter se membra connectere, sed semet ipsos tantum alicui vocabulo adiungere vult. An forte etiam encliticas istas voculas, quae nunquam non alicui vocabulo se adiungunt adeoque etiam in pronuntiando cum iis coalescunt, ut accentum in ea reiiciant, propterea recte *ἄρθρα* dici potuisse credemus? Nam ridiculum nonnullorum errorem, qui quum *ἄρθρα* etiam genitalia dici viderent, hinc articulis id nomen inditum opinabantur, quia scilicet, ut genitalia sexum animalium, sic illi genus nominum demonstrarent, ipse Apollonius satis confutavit. Ego autem etiam genitalia non aliam ob causam *ἄρθρα* dicta crediderim, quam quia in coitu maris et feminae corpora his partibus quasi connectuntur et copulantur [15]). Ubi autem alia membra *ἄρθρα* vocantur, transfertur quidem nominis significatio a iunctura in ea, quae per iuncturam inter se cohaerent; at longe diversa tamen haec translatio ab ea est, qua Apollonius

---

14) Hoc pertinet ad locum a grammaticis in ordinandis partibus orationis pronomini post articulum assignatum, propterea scilicet, quod articulus cum nomine, pronomen autem pro nomine usurpetur. Quippe, ut ipse ait, de constr. 1, 3 p. 16, 26: *εἰ τὸ ἄρθρον μετὰ ὀνόματος, καὶ ἡ ἀντωνυμία ἀντ' ὀνόματος, δέδοται ὅτι τὸ συνυπάρχον ἄρθρον τῷ ὀνόματι πρεσβύτερόν ἐστι τῆς ἀντωνυμίας,* Cf. schol. Dionys. p. 898, 16: *Προτέτακται δὲ τὸ ἄρθρον τῆς ἀντωνυμίας· ἡ μὲν γὰρ ἀντωνυμία ἀντὶ τοῦ ὀνόματός ἐστιν, ὅθεν δικαίως προτέτακται τὸ μετ' ὀνόματος· γνησιώτερον γὰρ τὸ μετά τινος τοῦ ἀντί τινος.*

15) Id maxime comprobatur notissima locutione *ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχειν.*

articulos dici vult eiusmodi vocabula, quae non ipsa membrorum inter se iunctorum instar sunt, sed nihil nisi additamenta quaedam et appendiculae, ut quidem ipsi videtur, aliis vocabulis adhaerentes.

Sed quam longe a vera et genuina ratione Apollonius abhorruerit, ex iis maxime intelligi potest, quae de postpositivo articulo disputat, quem quidem a membrorum orationis connexione articulum dictum esse tam apertum est, ut neminem fallere potuisse videatur. Et tamen aut fefellit Apollonium, aut dissimulatur consulto. Nam de constr. 1, 43 p. 86, proposito exemplo huiusmodi: *παρεγένετο ὁ γραμματικός, ὃς διελέξατο*, recte quidem observat *τὸ ἄρθρον*, h. e. postpositivum articulum, adiunctum (*συνδεδεμένον*) esse nomini praecedenti eiusque notionem per anaphoram repetere; nec minus recte, eandem sententiam etiam absque hoc articulo per coniunctionem copulativam enuntiari posse hoc modo: *ὁ γραμματικὸς παρεγένετο καὶ διελέξατο*: quumque addat etiam non multum differre articuli et coniunctionis, *ἄρθρου* et *συνδέσμου*, nomina, *τὸ γὰρ συνηρτῆσθαι καὶ συνδεδέσθαι οὐ μακρὰν τῆς συνωνυμίας πέπτωκε*, quis non crediderit etiam illud ab eo perspici debuisse, utrumque nomen ad eandem membrorum connectendi facultatem pertinere, et quemadmodum ab eorum *συνδέσει σύνδεσμον*, sic ab eorum *συναρτήσει ἄρθρον* dictum esse? Sed nihil minus. Articuli *συνάρτησιν* non in membrorum connexione, sed in eo tantum constare vult, ut nomini praegresso se adiungat, eamque ob causam, ubi non adest aliquod nomen, cui sic ut in isto exemplo adiunctus sit, ne articuli quidem nomen ei tribuendum censet. Igitur in huiusmodi exemplis: *ὃς ἂν ἔλθῃ, μεινάτω με* ac similibus, quamvis manifesta sit membrorum per *ὅς* connexio, ille tamen, de constr. IV, 1 p. 306, falsa sua articuli definitione fretus, hunc articulum esse negat, quia neque nomini alicui se applicet neque anaphoram h. e. superioris notionis relationem habeat, vituperatque hanc ob causam Tryphonem, qui *ὅς* sic in initio positum articulum *προτακτικὸν* dixerit. *Τίνος γὰρ πτωτικοῦ*, inquit *προετάγη; πῶς δὲ τὸ τοιοῦτον ἄρθρον, οὐκ ἀναπολοῦν τι προκείμενον ὄνομα, τοὐναντίον δὲ ἀοριστούμενον κατ' ἀρχὴν τῶν λόγων;* Esse igitur *ὅς* in huiusmodi locis *ἀοριστούμενον μόριον* dicendum, et *μόριον* quidem, non pronomen, quoniam indefinita pronomina nulla agnoscit. Similiter de adverb. p. 532, in. *εἰ γὰρ μὴ προτεθείη ὄνομα τοῦ τοιούτου ἄρθρου, οὐδ' ἂν ἔτι τὸ ἄρθρον ὡς ἄρθρον ἀκούοιτο, ὡς δὲ ἀόριστον μόριον, εἰ τῇδε ἀποφαινοίμεθα· ὃς μεθύει, βλάπτεται· ἴσον γάρ ἐστι τῷ· εἴ τις με-*

θύει, βλάπτεται. Et de constr. II, 7 p. 106, 17, plane ἰσοδυναμοῦντα dicit ὅς et τις, ne addita quidem huic coniunctione, ut sit εἴ τις [16]). — Contrario errore articulum, scilicet qualem ipse definivit, esse dicit in huiusmodi exemplis, ubi genus aliquod ante nominatum deinceps per ὅς μέν — ὅς δέ, οἵ μέν — οἵ δέ in partes dispescitur, velut διέπτησαν ἀετοί, ὃς μὲν ἀπὸ ἀνατολῆς, ὃς δὲ ἀπὸ δύσεως, aut Αἰθίοπας τοὶ δίχθα δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν, οἳ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος οἳ δ' ἀνιόντος. Nimirum quia hic in propinquo sunt nomina, quibus hi articuli συνηρτημένοι esse eorumque notionem repetere dicantur. Atqui quum nulla in his locis membrorum συνάρτησις eiusmodi sit, quam vere articularem dicere liceat, rectius illa vocabula anaphorica pronomina dici debuisse apparet [17]).

Sed dicendum aliquid etiam de anaphora, cuius vim et notionem item non satis ab Apollonio perspectam esse video, siquidem is in huiusmodi exemplis ὃς ἂν ἔλθῃ, μεινάτω με aut ὃς μεθύει, βλάπτεται, anaphoram nullam agno-

16) Obversabantur scilicet Apollonio eiusmodi exempla, ubi τὶς solum pro εἴ τις vel ὅστις usurpatur, qualia nonnulla apud labentis iam graecitatis scriptores inveniuntur. Sic in Nossidis epigrammate Anth. Pal. V, 170: τίνα (immo τινά) δ' ἁ Κύπρις οὐκ ἐφίλασεν, οὐκ οἶδεν κήνας ἄνθεα ποῖα ῥόδα, et in Callimachi, ib. XII, 43: οὐδὲ κελεύθῳ χαίρω, τὶς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει. Eiusdem generis est ap. Diog. L. VII, 70: τὶς περιπατεῖ, ἐκεῖνος κινεῖται. Etiam ad Sophoclis versum Oed. Col. 3 scholiastes hunc abusum agnoscit, τοῦ τὶς μὴ πυσματικῶς κειμένου, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἄρθρου, h. e. ἀντὶ τοῦ ὑποτακτικοῦ ὅς, ἥ. Cf. plura ap. Naekium ad Callim. Hecal. p. 178 et Meinek. delect. poet. Anth. gr. p. 94 sq. Ceterum similem usum pron. indef. quis pro si quis s. quisquis etiam in latino sermone haud inauditum fuisse videmus. Nam Festus s. v. Nancitor ex foedere Latino affert: Pecuniam quis nancitor habeto. apud Catonem R. R. c. 145, 1 Vict. et Gesn. ex optimis codd. scripserunt: Homines eos dato qui placebunt aut quis eam oleam emerit. item apud Gellium IV, 12, 2 Hertzius noster: quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus esset, impolitiae notabatur. Atque etiam in Oscorum sermone pis (h. e. quis) similiter usurpatum observavit Th. Mommsenius, d. unterital. Dialecte p. 290. Denique etiam in nostro patrio sermone nunc solum pronomen indefinitum wer usurpari solet in huiusmodi enuntiationibus conditionalibus, in quibus olim maiores nostri swer h. e. so wer dicere solebant. (So est coni. cond. ut si et εἰ.). Ita pro eo, quod plenius dicendum erat: Swer aut sower spatziert, der bewegt sich, nunc dicimus, wer spatziert, plane ut apud Diogenem L. τὶς περιπατεῖ pro εἴ τις περιπατεῖ, aut in foedere Latino quis nancitor pro si quis nancitor, aut in tabula Bantina pis comono hafiert pro svae pis comono hafiert.

17) Cf. Priscian. XVII, 4, 27: In dividendis illi (Graeci) articulis subiunctivis utuntur, nos vero pronominibus vel nominibus, ut τῶν ἀνθρώπων οἳ μέν εἰσιν ἀγαθοί, οἳ δὲ πονηροί. nos dicimus „hominum hi sunt boni, illi mali" vel „alii sunt boni, alii mali." — In graecis οἵ, non, ut vulgo fit, οἱ scribi debuisse manifestum est. Ceterum etiam qui articulos subiunctivos in huiusmodi exemplis non esse intelligunt, tamen cum accentu illas voces pronuntiandas esse non iniuria statuunt. Cf Reiz. de acc. incl. p. 5 et 23; eamque rationem etiam I. Bekkerum in altera Homericorum recensione secutum videmus.

scit. Nimirum huius quoque nominis significationem nimis angustis finibus coercuit, quum eam demum anaphoram esse velit, quae constet rei iam ante nominatae aut aliunde non ignotae referenda s. repetenda notione. Atqui ἀναφοράν meminisse debebat non solum ab activo verbo, ἀναφέρειν, quod referre s. repetere significat, sed etiam a passivo ἀναφέρεσθαι, q. e. referri, significationem trahere potuisse et re vera traxisse. Dicitur autem ἀναφέρεσθαι ἐπί τι eodem sensu, quo apud Latinos referri ad aliquam rem, de iis quae ad eam rem pertinent, spectant, diriguntur. Sic ipse Apollonius loquitur, c. c. de constr. 1, 23 p. 53, 19: ἐπί τι ἀναφέρεται πρόσωπον ἡ σύνταξις. Hinc igitur, quae spectant, referuntur, pertinent ad aliquid, τὴν ἀναφορὰν ἔχειν dicuntur ἐπί τι, velut in definitione adverbii a Julio Romano relata [18]: ἐπίρρημά ἐστι μέρος λόγου ἄκλιτον ἐπὶ τὸ ῥῆμα τὴν ἀναφορὰν ἔχον, quod idem esse apparet ac si dicas ἐπὶ τὸ ῥῆμα ἀναφερόμενον. Sic ergo etiam in huiusmodi exemplis, in quibus Apollonius anaphoram esse negat, velut ὃς ἂν ἔλθῃ, μεινάτω με, aut ὃς μεθύει, βλάπτεται, referri (ἀναφέρεσθαι s. τὴν ἀναφορὰν ἔχειν) articulum ὅς dicemus ad subiectum verbi, quod est in altero membro, μεινάτω, βλάπτεται, quod quidem possit etiam disertius per demonstrativum οὗτος v. ἐκεῖνος designari vel, ut medio aevo grammatici dixerunt, evocari [19]), sed quod, quamvis non evocatum, tamen intelligitur, siquidem in omni verbo finito etiam vim pronominis aut primae aut secundae aut tertiae personae inesse manifestum est [20]). Erravit igitur Apollonius ὅς in illis exemplis non anaphoricum, seu articulum seu pronomen, sed ἀόριστον tantum μόριον esse autumans; eumque errorem tanto magis mirabimur, quod, de constr. 1, 6 p. 27, in huiusmodi exemplis: κεῖνος γὰρ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔξοχον ἄλλων, ὅς κέν σ' ἔδνοισιν βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται, in priore membro futuram aliquam personam designari ait, cuius notio in altero membro per ὅς repetatur. Scilicet in hoc exemplo agnoscit anaphoram, quia praecedit pronomen κεῖνος. Quid igitur, si inverso ordine dicatur: ὅς κέν σ' ἔδνοισιν βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται, κεῖνος δὴ περὶ κῆρι μακάρτατος — aut etiam omisso pronomine demonstrativo, πάντων δὴ περὶ κῆρι μακάρτατος ἔσσεται ἀνδρῶν? Si con-

18) Apud Charisium II, 14, 24 p. 111 Keil.

19) Cf. librum de partt. or. p. 30 not. 3.

20) Vid. ib. p. 28 et quem ibi citavi Apollon. de pron. p. 29.

stare sibi velit, ος sic in initio collocatum pariter atque in suo illo exemplo, ὃς μεθύει, βλάπτεται, anaphoricum esse negabit, ἀόριστον v. ἀοριστῶδες μόριον dici debere contendet.

Hactenus de Apollonio eiusque subtilitate iudicii, quam in hoc quidem grammaticae loco, qui est de articulis, non nimis praedicandam esse, vel ex iis, quae adhuc disputavi, satis apertum esse arbitror. Reliquum est, ut etiam singula eius de usu articuli praecepta examinemus et quid in iis probandum, quid improbandum sit demonstremus, quae res, quoniam longiorem disputationem postulat, in aliud tempus differenda est. Nunc autem eo praevertemur, quod huius programmatis edendi necessitatem nobis imposuit.

Indicimus igitur Regis Augustissimi natalicia die crastini hor. XI. in auditorio maximo ab universitate nostra celebranda, omnesque quicunque rebus nostris favent, magistratus regios et urbicos, civiles et militares, omnesque omnium ordinum cives atque hospites ut coetui nostro frequentes adesse velint qua decet observantia et reverentia invitamus.

Dabamus Gryphiswaldiae d. XXI. m. Mart. MDCCCLXII.

